

P V I S



1 6 0 3

ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ

IN HONOREM
ET CELEBRITA-

TEM NVPTIARVM OR-
natissimi viri Dn: *AEGIDII TOL-
SCHERTZ*, cuius & Pharmacopolæ Ser-
uestani, nuptias celebrantis cum pudicis:
virgine *MARIA*, relicta filia ab integerrimo
viro Dn: *DAVIDE SCHVLERO*,
laudatissimæ memoriæ, ciue & pri-
matæ ciuitatis Hallensis VI.

Calend: Octob:

Anno voti Christiani

DeVs rege nos Veritate rVa, serMo rVæ
LIngVæ est VerItas Ipsa.

Scriptum à

M. PAVLO THEODORICO
Niuemontano.



SERVESTAE,
Bonaventura Faber excudebat.
ANNO M. D. LXXXIIII.

Psalmus CXIX.

*In gloriam Dei opt: Max: Et gratiam Sponsi,
Carminè redditus.*

O Felix ter & amplius beatus,
Qui vero Dominum colis timore,
Illiusq; iter ambulas sacratum.
Non te deficient labore parta
Quæ dextræ fuerint tuæ. Beatus
Es verè. Tua, vitis instar, Vxor
Multa prole tuas replebit ædes.
Ceu plantaria fertili educa ta
Pubescunt oleæ solo: tuos sic
Iucundo agmine filios videbis
Mensam cingere. Talia, ecce, totq;
Qui verè metuit *DEVM*, manebunt.
Tu vitam pede transiges secundo.
Ditabit *DOMINI* ex Sionis arce
Te dextra vt Solymam nitere pace
Festa conspicias, propaginemq;
Prolis fructiferam tuæ, Itaciq;
Letas pace frui sacra nepotes.

Pomifer Autūnus tenero dās palmite fructū
Cum venit atq; Æstas præcipitatur abit:
Paucula (fas dictu) meditabar carmina mente,
Quæ tamen haud vena diuitiore fluunt.
Et mox Pieridum feror ad loca læta Sororum,
Vt dictet versus docta Thalia mihi.
Et dum (sic etenim poscunt Heliconis alumna)
Diuini irriguas haurio fontis aquas:
Ecce Deæ adueniunt dulcas, quæis GRAtia nomē
Læta dedit, castus quas comitatur AMOR,
Et PIËtas, omnisq; mali PATientia victrix,
Signaq; læticia dat bona queque noua.
Demiror quid tanta velint sibi gaudia blandis
Sed memorat PIËtas hæc mihi sancta sonis.
Si queris magnum studio tibi laudis honorem,
Et cupis ingenij crescere dona tui.
Æterni celebra laudes & facta Parentis,
Et cane supremi numina magna DEI.
Hic dedit ingenij vires tibi verus Apollo
Efficies per te nil, nisi dante DEO.
Jamq; tibi quoniam sedet hæc sententia mente
Scribere, Quæ placeant, carmina, scribe, Deo.
Aspice (nam nubem, quæ nunc caligine visus
Obtegit, ex oculis eripiam ipsa tuis,

Cernere quò possis etiam mortalia facta
Possumus ut sanctæ cuncta videre Deæ)
Ecce vir ad sacram cum virgine sistitur aram
Fortassis facties est bene nota tibi.
Sunt pia leticia causa hæc connubia nostre,
Namq; placent nobis, quæ probat ipse DEVS.
Ergo nouis quæ cantabunt modorite sorores
Coniugibus calamo non remorante nota
Sic ait, atq; mouens dulci modulamine chordas,
Candida diuina sic DEA voce canit:
Cum Deus à prima fabricasset origine mundum,
Quicquid habent Æther, æquora, terra, Polus,
Non erat, imperio premeret qui facta potentj,
Factoris faciem qui referatue suj.
Tum DEVS, effigiem nostri faciamus, in æuum
Numina qui recte nostra celebret, ait.
Et formans terre limum, sic ore profatur:
FIAT HOMO, faciem mox habet ille virj.
Post huius sumens paruam de corpore costam,
Confestim pulcræ virginis ora facit.
Moxq; illis sancti diuinum Flaminis ignem
Inspirans, casto iungit amore duos.
Filioli mea progenies, mea dulcis imago
Crescite, ait, magnum prole replete solum.
Crescite,

Crescite, quæ tellus magnum fert cunq; per orbem
Cuncta equidem vestro subijcio imperio.
Dum stat terra, poli conuexaq; sydera pascent,
Jungentur socio fœmina virq; thoro.
Sic primus socij sanxit pia fœdera lecti,
Fœdera non unquam qua temerare licet.
Et se testatur thalamo bene velle iugali,
Coniugibusq; opera semper adesse sua.
Non vos ergo thoro sociari rite iugali
Pœniteat, latas iungito iamq; manus.
Fœdus initis enim mundi quod maximus autor
Et probat, atq; suo prouehit auxilio.
Ipse etiã CHRISTVS cõnubi casta probauit
In vinum liquidas dum bene vertit aquas.
Jamq; Sacerdotis iussu (mihî sic DEA monstrat)
Coniungunt dextras fœmina virq; suas.
Ergo AMOR ecce suis pedibus talaria neçtit,
Protinus ad sacrum constitit ipse locum.
Amborum & fundit castam per pectora flãmam,
Hisq; simul firmat fœdera facta sonis:
Non est mortali fas scindere fœdera cuiquam,
Firmasti nutu quæ DEVS alme tuo.
Non reuente DEO, non hæc sine numine magno
Proueniunt, sic sic crescere debet Homo.

A 3

Nasci-

Nascitur aeterno sic sancta Ecclesia Patry,
Non illum ficta quæ pietate colit.
Vivite concordēs, vestrum nil turbet amorem,
Disiungant animos nulla pericla pios.
Fœdera non unquam lecti temerare iugalis,
Offendunt summum turpia facta DEVM.
Sic ait: Imponensq; manus bona multa precatur,
Applaudit reliquis cuncta probatq; chorus.
Progrediensq; docet PATIENTIA: Ferte libenter
Imponit vobis quod DEUS ipse iugum,
Plurima Coniugium comitatur turba malorum,
Et fel sub dulci (credite) melle latet:
Vincitur at damnum recte tamen omne ferendo,
Si DEVS ardenti corde vocatus adest.
Ergo timete DEVM castis sacra ferte tonanti
Mentibus, hic vobis prospera cuncta dabit,
Omnia supplicibus superate pericula votis,
Fœdera legitimi nec violate thori.
Qui merito summum veneratur honore parentē,
Assidue nec non in sua vota vocat:
Illius & metuit numen, malefactaq; vitat,
Crimina nulla patrans, Ille Beatus erit.
Non huic non vitam deerunt alimenta per omnē,
Cuncta DEVS larga nam dabit ipse manu.
Post

Post CHARITES suavi cantant prædulcia vo-
Carmina, gratantur coniugibusq; nouis: (ce
Felix Sponse, canunt, felix qui turpia vitans
Subijcis imperio pectora casta DEI,
Et sociam thalamo queris tibi iungere costam,
Nec spernis liciti fœdera sancta torj:
Ecce (Dei munus magnum) pia, pulcra, pudica
Est Coniux lecto consociata tuo.
Quæ coluit summum vera pietate tonantem,
Et vera floret laude pudicitia,
Exuperat multas formaq; nitente puellas,
En decus, en faciem corporis egregiam.
Tota equidẽ tua Sponsa decens, est tota venusta,
Totaq; sincero pulcra colore nitet.
Illa tibi duris semper solatia rebus
Præbebit, curas diminuetq; graues.
Felix Sponsa nouo, felix coniuncta marito,
Non refugis liciti quæ iuga casta torj.
En socius lecto tibi consociatur eodem,
Egregiam laudem qui probitatis habet.
Cui Pietas cura est, cui Virtus sancta probatu,
Qui malefacta fugit, non inhonesta facit.
Insuper & forma pulcher resplendet honesta,
Quæ bene fœmineus conciliatur amor.

Hic casto castam te delectabit amore,
Auxiliumq; tibi sedulus usq; feret.
Ergo age Sponse pia fer gaudia iuncte puella,
Gaudia fer claro iuncta puella viro.
Jam Sponsum latis amplectere Sponsa lacertis,
Iungeq; cum Sponsa gaudia Sponsa tua.
Et lati thalamis nunc indulgete petitis,
Concedit vobis hoc DEVS atq; pudor.
Vivite felices, Amor haud mutetur in euum,
Nec vos concordēs diuidat vlla dies.
Nestore sit quamuis Coniux proiectior ipso,
Esse illum Iuuenem Sponsa putato tamen:
Sit tua sic vxor tibi tempus in omne puella,
Vincat Deiphobes secula longa licet.
Hæc ubi dicta, coit subito chorus omnis, & una
Incipiunt tales neçtere voce modos:
O DEVS summo residens Olympo,
Qui Polos, Terras, Mare, sydera, Æquor,
Alites, pisces, pecudes potenti
Voce creasti
O DEVS summo residens olympo,
Et Parens, & Nate, sacrumq; Flamen,
Vnus & Trinus moderans perenni
Numine mundum.
O Deus

O DEVS summo residens olympo,
Castamens, autor thalami iugalis,
Ipse qui mentes stabili duorum
Nectis amore.

O DEVS summo residens olympo,
Supplices huic connubio rogamus,
Nunc ades, vultu placidoq; sanctis
Annue cœptis.

Et tuo accendens animos potenti
Spiritu, vero duo corda amore
Necte, ne turbent socialem acerba
Furgia lectum.

Da pater multa quoque prole crescant,
Et queant multos numerare natos,
Vtq; sint illis geniti nepotes
Ordine longo.

Longa felices peragantq; vita
Secla, Cornicis pia Sponsa vincat
Tempora, at Sponsus superet beatus
Nestoris annos.

Vinclane rumpat temeretue Amorem
Fraudis antiquus Draco dux parensq;
Dante te semper bene sed beata
Pace fruantur.

Te

Te colant solum sine fine Patrem,
Tempore & rectè venerentur omni,
Ac Poli tandem teneant supremi

Dulcia regna.

Hæc ego Sponse tibi votis ardentibus opto
Et Sponse, socio est quæ tibi iuncta toro.
Munera ferre quidem vobis non aurea possum,
Quæ sunt igeni do tibi dona mei.
Ergo boni placida mea carmina consule mente,
Dante DEO quondam nam meliora dabo.

ALIVD.

RES sacra cõiugium est, dulcis medela maritis,
Non temeranda quibus fœdera sancit amor.
Quippe mares casto iungantur ut igne puellis,
Sic fiat geminum corpus & una caro,
Ipse iubet DEVS, & rerum natura creatrix
Postulat, humanum floreat unde genus.
Namq; maritali quid glutine dulcius? aut quid
Nostra hoc demulcet pectora in orbe magis?
Letitiæ sociam nisi, cum sors vernat amica,
Nosse Deo grates quæ simul ore canat:
Quæ sit & aduersis cum tangimur undiq; rebus,
Fida comes: uictus imminuatq; graves.

Gaza

Gaza Caduca fuit Craso olim magna voluptas,
Quæq; dat auriferi munera Lympha Tagi.
E latis capiunt reges sua gaudia regnis,
Exultat per opes gens & auara suas.
Cuncta sed hac tenui veluti pendentia filo
Legitimi superant gaudia vera torj.
Talia coniugio cum sint tibi cognita primo,
Clare vir, Aonio concelebrende melo,
Dic mihi, queso, tuam qua tardet inertia mentē,
Pristina iam paribus velle iterare modis?
In viduo quid membratoro iuuenilia perdis?
Semper an Hippoliti viuere more cupis?
Stulta sed innocuū mea Musa quid arguit? antè
Currenti noua cur dat modo vela rati?
Fallor? an icta nouo dudum tua pectora amore
Traxit ad imperij regna Cupido suj?
SCHVLEro grauitate viro, & virtute celebrj
Dum patre nata toro consocianda tuo est:
Hanc ubi stelliferum viridis caput exeret anguis,
Quo sunt Lenæi dona premenda patris.
Fumosis celebris quæ dicitur, HALLA, salinis,
Mittet in amplexus, munera summa, tuos.
Stipat amq; suis clara de stirpe propinquis
Ipse tibi MARIAM tædifer addet Hymen.
Qualia,

*Qualia, quotq̄ dabit teneris, tum, basia labris
(Mutua ferre modò sis memor) illa tibi?
Leniet ac luctus sic, vir tibi clare, priores:
Sicq̄, a derit vite sarcina grata tua.
Sic tua vernabunt reparati gaudia lecti,
Qui nuper maduit fletibus usq̄, tuis.
Gratulor ergo tuis, Et numina dextera cœptis
Comprecor: hac arris sint, volo, iuncta novis.
Ad tua cumq̄, mihi iam gaudia fata recusent
Carpere iter, Musis sit locus, oro, meis.*

*M. Daniel Amlingus
Munerstad. Fran.*



Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





LXVII

66



X A P I S T H P I O N

HONOREM
CELEBRITA-

TVPTIARVM OR-
ni viri Dn: AEGIDII TOL-
RTZ, cuius & Pharmacopolæ Ser-
nuptias celebrantis cum pudicis:
MARIA, relicta filia ab integerrimo
n: DAVIDE SCHVLERO,
atissimæ memoriæ, ciue & pri-
natae ciuitatis Hallensis VI.

Calend: Octob:

Anno voti Christiani

rege nos Veritate tVa, serMo tVæ
LIngVæ est Verltas Ipsa.

Scriptum à

PAVLO THEODORICO
Niuemontano.



SERVESTAE,

Bonauentura Faber excudebat.

ANNO M. D. LXXXIIII.

